



**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

1 Quomodo excommunicatus sit priuatus spirituali iurisdictione fori
contensiosi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

SECTIO I.

An excommunicatus ita sit priuatus spiritali iurisdictione fori contentioſi, vt omnis eius actio ipſo facto irrita ſit.

Regula generalis eſt, vſum talis iurisdictionis eſſe prohibitum excommunicato; quæ eſt certa, & communis ex cap. Audiuiſmus, 24. quæſt. 1. vbi dicitur, excommunicatum non poſſe alterum excommunicare. Quod non alia ratione dicitur, niſi ob defectum iurisdictionis. Idem ſupponitur in cap. 1. de Offic. Vicar. in 6. vbi dicitur, qui vices gerebat alicuius officialis, ſeu Iudicis Eccleſiaſtici, hoc excommunicato exiſtente non poſſe munera illius officij exercere. Cuius ratio eſt, quia per excommunicationem ſuſpentionem principalis iurisdictionis in eo, qui excommunicatur: & inde ſit, vt non deriuetur ad eum, qui illius vices gerit. Et ob eandem cauſam dicitur in cap. Si ſi, cui, de Offic. deleg. in 6. quando delegatus excommunicatus eſt, ſubdelegatum carere iurisdictionis vſu: & ideo non ad ipſum, ſed ad Sedem Apoſtolicam eſſe appellandum. Idem probari ſolet ex cap. 1. de ſupplend. negligent. Prælat. in 6. vbi dicitur, Excommunicato Episcopopo iurisdictionem non deuolui ipſo iure ad Archiepiscopum. Vnde ſupponitur, quod iurisdictione tollatur, & ad aliquem deuoluatur: licet negetur deuolui ad talem perſonam. Idem probatur à fortiori ex cap. Decernimus, de Sent. excomm. in 6. & ex cap. Veniens, 2. de teſtib. & aliis, quibus infra probabimus, excommunicatum, neque teſtem, neque actorem eſſe poſſe in iudicio. Ratio vero huius regulæ eſſe poſſe, vel illa generalis; quia excommunicatus priuatus eſt omni Eccleſiaſtica communicatione, hæc autem, quæ ſit per aliquam iurisdictionis ſpiritalis adminiſtrationem, magna communicatio eſt; vel ſpecialis prohibitio facta in dictis iuribus, eo quod, cum excommunicatus ſit ſuo modo ab Eccleſia ſeparatus indignus eſt, vt in illa ſit dicat, aut alium actum ſimilis iurisdictionis exerceat.

Atque hinc ſit, vt regula hæc ad omnes actus, qui propriæ iurisdictionis ſunt, extendatur. Huiusmodi ſunt omnes illi, qui ſunt propriæ Iudicis, & Superioris Eccleſiaſtici: vt ſunt præcipere, aut leges ferre, vel in latis diſpenſare, ſeu licentiam præbere ad quodlibet munus Eccleſiaſticum exercendum, & iudicium ferre, & alij ſimiles, qui numerantur in c. Accedentibus, de Exceſſib. Prælat. & in cap. Dilectus filius, de Offic. Ordinat. Huc etiam ſpectat iurisdictionis delegatio: nam illa etiam iurisdictionis vſus eſt, vt ſumitur ex l. Imperium, ff. de Iurisdictione omnium Iudic. & ideo ſi ab excommunicato fiat, nulla eſt, vt ſumitur ex cap. 1. de Offic. Vicar. in 6. vbi id notat Gloſſa verbo, Recipiunt, & Verbo Vigorem. An vero iurisdictione delegata ante excommunicationem delegantis ſuſpentionem propter ſuperuenientem excommunicationem, breuiter dicendum eſt, ſi res ſit integra, ſuſpentionem non vero ſi inchoata iam ſit. De quo ſufficienter diximus ſupra agendo de cenſuris in comuni. Rurſus inter hos actus numeranda eſt conſeſio indulgentiæ, vt notat Nauarrus in Commentario de Iubilæo, notab. 31. numero 10. & Sylueſter verbo Indulgentia, numero 13. Abbas etiam in capitulo Accedentibus, de Exceſſib. Prælat. Eſt etiam eadem ratio de his omnibus: nam licet iura interdum loquatur ſpecialiter de iurisdictione in ordine ad iudicium contentioſum, aliquando tamen loquuntur de iurisdictione ſimpliciter, & abſolute ad quam propriſſime pertinent omnes dicti actus, & ratio, ob quam vſus iudicandi interdicitur eſt excommunicato, non eſt ob ſpecialem naturam illius

Fr. Suarez tom. 5.

A actus, ſed ſimpliciter ob ſuſpentionem ab officio, & ab omni actu iurisdictionis, quam excommunicatus incurrit. Atque ita explicant hunc effectum iurisdictionis omnes in citatis iuribus, & in capit. Cum dilectus, de conſuetudin. & ſpecialiter Innocentius, & Abbas in capit. Veritatis, de Dolo, & contumacia, & in capite. Ad probandum, de Sentent. & Re iudic. & Theologi in 4. diſtinctione 18. & 20. Summiſtæ, verbo Excommunicatio, & ſpecialiter Caietanus in Summa, verbo Excommunicatio, cap. Quod excommunicato plura ſint prohibita: & Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 21.

Sequitur præterea ex dictis, peccare grauiter excommunicatum, quoties huiusmodi actus iurisdictionis exercet: quod ſine dubio ex genere ſuo, & in indiuiduo fere ſemper eſt peccatum mortale, quia & materia huius præcepti grauis eſt, & pertinet ad directam, ac primariam priuationem excommunicationis, & in indiuiduo rariffime contingere poſteſt, vt ex leuitate materia peccatum hoc veniale ſit, quanquam interdum eſſe poſſit, vt ſi daret licentiam in re parui momenti. Omitto etiam excuſationem per ignorantiam, vel moralem inaduertentiam, quæ generalis eſt. Quod vero attinet ad obligationem ipſius excommunicati, quantum ad ipſum pertinet, erit hæc actio peccaminosa in omni excommunicato, ſiue publicus ſit, ſiue occultus, ſiue ex iure antiquo, ſiue poſtius nouum Extraneantis, Ad cuiusmodi actus, vt ſæpe dixi, nullum priuilegium illi conſeſſum eſt. Requiritur tamen, vt vere, ſeu valide excommunicatus ſit: quod eodem modo hic exponendum eſt, quo in aliis effectibus id explicauimus.

An omnis actus iurisdictionis ab excommunicato factus nullus ſit.

Et vero grauis difficultas, an huiusmodi actiones non ſolum prohibita ſint, ſed etiam inuolida, & irrita, ſi ſint: quæ tractari poſteſt, vel attento ſolo iure antiquo, vel ſecundum ius nouum Concilij Conſtantiensis. In eaque vnum eſt conſtans apud omnes, huiusmodi acta ab excommunicato publico, vel ſimpliciter, iuxta antiquum ius, vel iuxta nouum à maniſeſto Clerici percuffore, aut nominatim denunciato, irrita eſſe, & nullius valoris. Quod probatur ex cap. Ad probandum, de Re iudica. vbi non tantum ſententia ab vno Iudice excommunicato lata, ſed etiam lata à multis, ex quibus vnus tantum excommunicatus eſt, caſſanda dicitur. Vbi Gloſſa aduertit, caſſandam dici, quia caſſa, & irrita declaranda eſt: nam ſi valida fuiſſet, nõ eſſet cur irritaretur propter ſolam culpam iudicantis, cum illa culpa non eſſet contra iuſtitiam, nec contineret eſſentialem defectum: ideo ergo caſſanda dicitur, quia ſine iurisdictione lata eſt: fuit ergo nulla. Et eodem modo intelligitur cap. Audiuiſmus, 24. q. 1. vbi excommunicatus dicitur non poſſe alium excommunicare: vbi eſt aduertendum, non dici non poſſe licite: ſed ſimpliciter non poſſe. Vnde quod ſtatim ſubditur, ſic excommunicatum ab excommunicato Apoſtolica auctoritate abſolutum: intelligendum eſt pro eo appoſitum, quod eſt, non ligatum declarari, vt latius ſupra expoſuiſmus agentes de cenſuris in comuni. In priori autem capite citato aduertendum eſt ſermonem eſſe de excommunicato publico: dicitur enim, Pro eo, quod vnus ex delegatis Iudicibus, qui eandem ſententiam protulerunt, excommunicationis vinculo eſſet publice innotatus. in poſteriori autem abſolute eſt ſermo de excommunicato, maxime tamen de publico verificabitur. Vnde paulo inferius Gratianus loquens de Arriohæretico, ait, Ex quo talia prædicare cepit, neminem damnare potuit: ſignificans ex tunc factum eſſe publice excommunicatum. Ratio autem eſt, quia Eccleſia

per excommunicationem prohibet huiusmodi actus, quantum potest, & expedit ad bonum Ecclesie regimen, & vt huiusmodi censura timeatur: sed Ecclesia potest hoc prohibere auferendo iurisdictionem, quantum ad talem actum, seu pro eo tempore: & postquam excommunicatus publicus est, nihil aliud expectari poterat ad hunc effectum iuxta antiqua iura, & iuxta Extrauagantem *Ad euandam*: idem nunc est post specialem denunciationem: ergo sine dubio talis excommunicatio inducit efficaciter hunc effectum, & suspensionem iurisdictionis.

*Corollaria
Præcedentis
asserenti.*

Atque hinc fit, reum non ligari sententia à tali iudice lata, vt pote ipso iure nulla: subditum etiam non teneri ad parendum Superiori excommunicato aliquid præcipienti: imo nec posse illi obedire in iis, quæ vt Prælati præcipit: quia illi obedire esset communicare cum illo. Addo, etiam ex parte subditi esse hoc peccatum graue ex genere suo: quia hæc communicatio est aliquo modo in diuinis, & directe cadit sub primariam prohibitionem excommunicationis: nam est recognoscere illum vt prælatum habentem præcipiendi potestatem: quod est directe contra censuræ intentionem, & æstimationem. Si tamen id faceret subditus non animo obediendi, sed ex quadam vrbantitate, vel humana verecundia excusari posset, vt opinor, à mortali, secluso etiam scandalo. Quo fit, vt multo minus debeat, aut possit talis subditus vti licentia, dispensatione, aut iurisdictione delegata ab huiusmodi superiori excommunicato: quia omnes isti sunt actus iurisdictionis, & consequenter inuoluntati: qui ergo tali licentia, vel dispensatione vtitur, præter generalem rationem peccandi ob communicationem cum excommunicato, in hoc specialiter delinquit, quod ita in actione sua se gerit, ac si, qui sine licentia, vel dispensatione quippiam simile operatur. Et similiter delegatus, qui ea iurisdictione vtitur, peccat vsurpando iurisdictionem, quam non habet, quæ peccata ex genere suo grauiora sunt: in indiuiduo autem erunt maiora, vel minora iuxta materiam qualitatem.

Vnde vltius, si aliquæ censuræ, vel pœnæ impositæ sint ipso iure eis, qui vel iurisdictionem vsurpant in tali actu, vel aliquid operantur sine Superioris licentia, perinde incurrerent talem censuram, vel pœnam, id faciendo per facultatem à publico excommunicato concessam; ac si omnino sine vlla facultate id faceret: quia reuera facultas illa nulla est. Solum potest esse discrimen, quia tunc facilius potest quis excusari à temeritate, vel præsumptione propter aliquam ignorantiam: vt v. g. in casu Clementinæ 1. de Priuileg. vbi prohibetur Religiosis sub pœna excommunicationis, ne absque licentia proprii Parochi Sacramentum extreme vñctionis vel aliud simile ministrarent, si Religiosus delictum Parochi publice excommunicati id faceret, æque peccaret contra illam prohibitionem; & si eadem præsumptione, & temeritate id faceret, dictam censuram incurreret: si tamen id faceret ex aliqua deceptione etiam culpabili, licet non excusaretur à culpa, excusaretur ab illa censurâ propter verbum *presumpserint*, quod in illo textu habetur, iuxta generalem regulam de censuris in communi superius positam. Idem iudicium est de eo, qui ordines suscipit vtendo literis dimissoriis ab excommunicato datis: nam quia illarum literarum concessio actus iurisdictionis est, perinde si ille se gerit, ac si sine literis dimissoriis ordinaretur: & idem est in similibus.

*Quorundam
dictum resolu-
tur.
Palud
Sylu
Armilla.*

Quamobrem improbabilem censo opinionem Paludani in 4. distin. 23. quæst. 2. & Syluestri verbo *Vñctio* numer. 4. & Armillæ num. 5. dicentium, Parochum excommunicatum posse dare licentiam Religioso ad conferendum Sacramentum Extreme Vñctionis, eo quod administratio illius Sacramenti non pertinet ad iurisdictionem, sed ad ordinis po-

testatem. Sed tamen æquiuocatione quadam decepti videntur: nam licet vngere formaliter ac per se non sit actus iurisdictionis, sed ordinis: tamen dare licentiam vngendi, actus iurisdictionis est. Et rursum, licet ad valide vngendum non sit necessaria iurdictio, ad vngendum tamen licite & iure necessaria est vel iurdictio propria, vel licentia valida ab ea manans, qui ad eam dandam vsum iurisdictionis habeat. Cum ergo constet, excommunicatum hunc vsum non habere; certum existimo, neque ipsum posse talem licentiam dare, neque alterum illa vti.

Quid de occulte excommunicato stando in iure antiquo.

DE occulte autem excommunicato est diuersitas opinionum, etiam stando in iure antiquo. Nam quidam dixerunt, omnia acta ab huiusmodi excommunicato inuoluntati esse, quantumvis occultus sit. Glossa in §. *Verum tamen*, post cap. *Infamatus*, 3. quæst. 7. Syluester verbo *Excommunicatio*, 1. num. 9. in fine: & *Excommunicatio*, 2. num. 1. vbi alios refert. Fundamentum est, quia hic effectus non est opinionis, vel notitiæ hominum, sed ipsius excommunicationis ergo si reuera excommunicatio inest, habebit effectum, siue aliis innotescat, siue non. Nihilominus contraria sententia & communis, & vera est: tenet Richardus distinct. 18. articulo 7. questione 1. Paludanus quæst. 2. articulo 3. & quæst. 4. Soto, 22. quæst. 2. artic. 1. circa finem. Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 21. & idem sentit cap. 9. numer. 8. Co-uarruias in cap. *Alma*, part. 1. §. 11. num. 4. Soletque probari à contrario sensu ex dicto cap. *Ad probandum*, de Re iudicata. propter verbum illud, *Si publice excommunicatio vinculo irretitus sit*: vbi Abbas, Felinus, & alij notant, si non sit publice irretitus, non infirmari eius sententiam. Responderi tamen posset, id dictum esse propter maiorem euidentiâ nullitatis, non quia necessarium sit: præsertim cum in cap. *Audiuimus*, 1. 4. quæst. 1. omittatur verbum illud, *publice*. Nihilominus argumentum illud in iure censetur valde probabile, præsertim quando talis conditio ponitur, vt necessaria ad effectum: quod in illo textu satis insinuat, cum dicitur, *Si pro eo*, &c.

Ratio vero præcipua huius opinionis est, quia dū aliquis sustinet, & exercet in Republica munus publicum, licet habeat defectum occultum, actus illius ex eiusdem Reipublicæ interpretatione, & concessione valida sunt: ita vero contingit in proposito quando excommunicatus est occultus: ergo. Maior satis vulgaris est apud Iurisperitos, & à nobis sæpe est in superioribus repetita ex l. *Barbarus*, ff. de Officio Prætoris; quam ad res Ecclesiasticas accommodant Gratianus in capit. *Infamatus*, §. *Verum tamen*, 3. questione septima, & omnes; quia Ecclesia non minori prouidentia vtilitati fidelium prospicit, quam Respublica ciuili vtilitati suorum membrorum: nec minora incommoda sequerentur, sed maiora, quo ad bonum animæ proprius pertinent, si propter defectus occultos acta publica irrita fierent: ergo, &c. Et confirmatur: nam iure canonico antiquo statutum est, publicum excommunicatum publice esse vitandum, occultum vero tantum occulte. cap. *Cum non ab homine*, de Sententia excommuni. quod non in fauorem excommunicatorum, sed Reipublicæ Christianæ prouisum est: ergo similiter acta publica excommunicati occulti ex eadem Ecclesiæ Prouidentia non irritantur, & (vt ita dicam) non vitantur. Patet consequentia, tum ex pari ratione, seu necessitate; tum etiam quia si fideles non tenentur publice vitare excommunicatum etiam sibi cognitum priuatim, hoc ipso habent ius, vt acta ab illo valeant: quia si ille est, v. g. Iudex

Sect. I. An priuat. iurisdictione spiritali fori, &c.

233

Index, & non est publice excommunicatus, debent coram illo petere ius suum: ergo oportet, vt alter valde illud dicere possit: alius iniquis, & iniqua esset conditio.

10 Dicit aliquis, etsi hæc vera sint de his actis quæ in aliorum vtilitatem facta sunt; non vero de iis, quæ cedunt in grauen, vel detrimentum aliorum, quandoquidem hoc priuilegium non ipsi excommunicato, sed aliorum vtilitati conceditur. Sic enim dicitur in dicta lege *Barbarius* valere huiusmodi acta propter vtilitatem eorum, quæ apud eum geruntur: ergo vbi non est vtilitas, sed grauen, non valent. Vt v.g. absolutio data ab excommunicato occulto valeat; censura autem lata non valeat: iuxta id, quod dicitur in dicto cap. *Audiuiimus*, excommunicatum scilicet excommunicare non posse. Propter hoc dixerunt aliqui, excommunicationem latam ab excommunicato etiam occulto validam non esse, vt refert Abbas in cap. *Ad probandum*, de Re iudic. num. 12. Sed oppositum verius est, vt supra agens de censuris in communi diximus. Dicendum ergo est, hoc ius non concedi propter vtilitatem priuatam huius, vel illius personæ; sed propter publicam Reipublicæ, vel Ecclesiæ. Et ideo licet contingat, actionem huiusmodi excommunicati esse aliquid nocivum, vel onerosam; nihilominus valida erit, quia ad commune bonum Reipublicæ ita expedit, & de facto procedit ab eo, qui ab Ecclesia habet potestatem toleratam, vt sic dicam. Accedit etiam, quod fere semper huiusmodi actiones, cum aliquibus sint viles, aliis sunt onerosæ: & ideo valor actionis non debuit inde pendere. Quocirca licet simpliciter excommunicatus non possit excommunicare, nihilominus excommunicatio lata ab excommunicato occulto valida est, vt supra de censura in communi diximus. Nam licet quatenus est excommunicatus, sit priuatus vsu iurisdictionis; tamen quatenus est minister publice toleratus, recipit alia ratione illum vsu, non vt liceat, per se loquendo, exercitium eius; sed vt valorem habeat, si de facto illum exercuerit.

An omnis excommunicatus non nominatim denunciatus, sit occultus censendus.

11 **H**abet autem dubitationem etiam secundum ius antiquum, quoniam censendus sit in presenti occultus excommunicatus. Sed vt vtilius id disputemus, & explicemus, in particulari querendum est, an omnis excommunicatus, qui non est nominatim denunciatus, nec manifestus percussor Clerici, censendus sit occultus, quantum ad hunc effectum vteius acta valeant. Couarruías, qui hoc attigit in dicto cap. *Alma*, part. 1. §. 7. num. 9. videtur sentire, omnem excommunicatum non denunciatum nominatim, censi occultum: nam dicit, huiusmodi vitandum non esse in iis, quæ pertinent ad publicum officium eius, etiam ab his, qui norunt ipsum esse excommunicatum. Retamen vera ille non loquitur de excommunicato publico nondum denunciato nominatim: de quo solo potest esse in presenti aliqua difficultas: sed loquitur de illo, qui, cum publicus non sit, aliquibus tamen est notus, de quo non dubium, quin acta eius valeant; etiam respectu illorum, quibus nota est excommunicatio. Quod non solum ob Extrauagantem, *Ad euiranda*, sed etiam ex iure antiquo verum est, vt probant quæ hætenus adduximus: quia etiam ille non erat vitandus publice ab iis, qui priuatim eius excommunicationem sciebant; & quia illi non sunt peioris conditionis, vt acta in eorum fauorem non valeant: ac denique quia ille publice & indifferenter pro omnibus toleratur.

12 Nunc ergo difficultas est, an, si quispiam publicus, sit occultus censendus.

Fr. Suarez tom. 5.

Ace committat delictum, ob quod ipso iure excommunicatus est, & exerceat munus iudicis Ecclesiastici, verbi gratia in quo publice toleratur, absque denunciatione personali: an acta ab illo valorem habeant. Quæ difficultas locum non habet in opinione eorum, qui putant, Extrauagantem *Ad euiranda*, seruandam esse iuxta formam, quæ habetur in Concilio Basiliensi: iuxta quam omnis publicus excommunicatus cauendus est: ex quo manifeste sequitur, in prædicto casu acta à tali excommunicato publico inuolida esse, quia talia erant iuxta ius antiquum, & per illam Extrauagantem nihil innouatum fuit circa talem excommunicatum. Atque ita (iuxta illam sententiam) quantum ad præsentem effectum spectat, idem nunc censendus est excommunicatus, qui antea iure antiquo censebatur, scilicet, qui nec noticia iuris neque facti publice notus est, quia quoad hoc nihil per Extrauagantem illam mutatum est.

Nihilominus; supposita sententia, quam supra defendimus de illo publico excommunicato, quod ratione illius Extrauagantis nunc tantum sit vitandus, quando est manifestus percussor Clerici, dicendum hic cenfeo acta à quolibet alio excommunicato non denunciato ratione publici muneris, in quo toleratur, valida esse, quantumvis notorius sit notorietate (vt aiunt) facti: percussorem Clerici semper excipio, quo fit, vt supposita illa Extrauaganti omnis ille censendus nunc sit excommunicatus occultus in ordine ad præsentem effectum, qui per publicam sententiam, & denunciationem sub proprio nomine factam notorius non est iuridice. Probatur argumento superius facto, quia ille non est vitandus iuxta dictam Extrauagantem: ergo subditi habent ius petendi ab illo actiones publicas muneris sui: ergo necesse est, vt tales actiones ab illo factæ sint validæ, alioqui & frustranea esset illa licentia subditorum, & quasi repugnantiam inuolueret, quod nimirum liceat petere publice illam actionem, quæ valorem & efficaciam habere non possit. Confirmatur, nam ob similem rationem supra dicebamus, parochum excommunicatum quantumvis publicum, quamdiu denunciatus non est, validum poenitentia sacramentum conferre: & consequenter retinere quoad hoc vltim iurisdictionis in illo foro: quia nimirum subditi eius licite possunt ab eo sacramentum illud postulare: ergo idem dicendum est in presenti, cum propter rationis paritatem, tunc etiam quia Extrauagans illa æque generaliter loquitur de communicatione in sacramentis, & extra.

Dicunt aliqui non esse parem rationem de iurisdictione sacramentali, & actu eius, & de illa, quæ pertinet ad forum contentiosum: quia prior directe & proxime ordinatur ad salutem animæ, & magni esset periculi si actus eius esset inuolida: altera vero magis versatur circa res externas, in quibus nocuum non est tanti momenti. Et ideo aiunt Extrauagantem, *Ad euiranda*, non esse ita vsu receptam in actibus iurisdictionis extra sacramentum, sicut in sacramento. Sed hæc responsio non satisfacit: nam in primis differentia illa fere nullius momenti est: tum quia etiam actus iurisdictionis exterioris interdum proxime pertinent ad bonum animæ, seu conscientie forum, vt sunt dispensatio in voto, vel in lege, impositio præcepti, indulgentiarum concessio & similes: tum etiam quia saltem remore, & mediate ex his actibus possunt multa oriri, quæ ad salutem animarum, vel ad grauandas conscientias plurimum referre possunt: maxime cum ad hoc etiam pertineat collatio beneficiorum, impositio censuræ, vel absolutio ab illa, & similis. Deinde, quidquid sit de ratione differentia, hoc non pendet præcipue ex ratione sed ex dispositione legis: lex autem æque in vtrisque actibus disposuit, etiam si fortasse non sit in eis omnino

Quid de illo qui publice crimen cui annexa ipso iure est excommunicatio, committi.

13 *Resolutio.*

14 *Quorundam discrimen inter actus fori sacralis & conscientiosi: Eluduntur.*

omnino æqualis ratio. Quod vero dicitur illam legem esse equaliter vfu receptam in verique actibus cum ad factum spectat, improbari effacaciter non potest, sicut neque probari, & mihi de tali vfu non constat, verisimile tamen est, cum lex illa in actibus cuiuslibet ordinis fauorabilis sit fidelibus, acceptatâ pro omnibus esse, & amplificatam potius quâ limitatam. Quanquam quia raro accidit, vt publicus notorius excommunicatus permittatur exercere publicum officium, & iurisdictionem Ecclesiasticam fori cõtentiõsi, quin à superioribus coerceatur, vel publicè denuncietur, ideo etiam raro venit in vsum, & proxim casus hic, de quo disputamus, scilicet, quod ab huiusmodi excommunicato actus validi huius iurisdictionis exerceantur: quod non sufficit vt dicamus, Extrauagantem illam quo ad hanc partem esse derogatam.

³³ Solum oportet aduertere, quod sæpe dictum est, illam Extrauagantem nullum fauorem concessisse excommunicatis, sed aliis fidelibus. Ex quo in primis sequitur, hos excommunicatos non posse licite exercere hoc actus, præsertim quando alii fideles non sunt in necessitate constituti, vel ius suum non exigunt: sicut in similibus dictum est in superioribus: est enim quoad hoc in præsentem eadem ratio.

Deinde sequitur, quanquam ipsi excommunicari velint exercere hos actus, & alii fideles possint illis vt, vel eos acceptare, si sibi sint commodi, non tamen posse ad hoc cogi, aut obligari: quia licet aliis fidelibus cõcessum sit, vt possint, cum his excommunicatis communicare, non tamen hoc est illis præceptum, neque prohibitum vt eos vident, sed possunt id facere si velint: quia hoc est priuilegium illis cõcessum in eorum fauorem ac proinde liberum eis est, illo vt, vel non vt. Quo fit, vt, si huiusmodi excommunicatus dispõset, vel absoluat, aut simile opus gratie conferat, acceptari possit tanquam validum, & vtile; si vero aliquid præcipiat, nõ teneatur fideles illi obedire: quia non tenentur cum illo communicare. Et pari ratione si aliquem excommunicet, non tenebit excommunicatio, vel quia nõ supponit contumaciam, eo quod respectu excommunicati nemo sit contumax, cum nemo ei obedire teneatur vel certe quia ipsa excommunicatio debet procedere ex virtute directiua, & coactiua, quam non habet publicus excommunicatus ex vi Extrauagantis, *Ad eundem*, vt dictum est. Et similiter si quis vocetur, seu citetur ad iudicium coram huiusmodi excommunicato publico non denunciato, non potest ad comparandum cogi propter eandem rationem, quanquam si actor, & reus voluntarie consentiat, possint coram illo agere in iudicio, & ipse possit validam proferre sententiam, non tantum per modum arbitri, sed etiam per modum ordinarii iudicis, si seclusa excommunicatione munus hoc illi ex officio competat.

³⁶ Sed quæri vltius potest, si aliquis sit nominatim excommunicatus, ac proinde iure publicus, de facto vero sit occultus, quia ab aliis vel omnibus, vel saltem pluribus, & publice ignoratur, an valida sint acta ab eo. Accidere autem hoc potest vel in diuerso loco, vt si in vno denunciatus sit, in alio vero pro non excommunicato publice habeatur; vel etiam in eodem loco pro diuerso tempore, vt si iam denunciatio memoria excidit, vel iam publice creditur absolutus, cum reuera non sit. Respondetur etiam in eo casu, acta huiusmodi excommunicati valitura, eumque quoad hunc effectum censeri occultum, non tam ex iure nouo, quam ex antiquo: quod in nulla re per nouum restrictum est, sed amplificationem tantum. Itaque iuxta antiquum ius excommunicatus publicus in vno loco, si in alio esset occultus, & ibi publico officio fungeretur, validas actiones efficeret iuxta communem Canonistarum sententiam, quam refert, & sequitur Panormitanus

A & ibi eius Additio in cap. *Ad nostram*, 3. de Iur. iurando, num. 6. & in cap. *Sic sit*, de Rescript. num. 23. argumẽto dictę legis, *Barbarus*, & rationis eius, quę cogit, vt hoc intelligamus de occulto respectiue, id est, ibi, & eo tempore, quo gerit officium publicum: tunc vrget necessitas, vel vtilitas publica, & notitia, quę in alio loco habetur, impertinens est ad ea, quę in alio loco geruntur. Quod ergo dicitur iuxta antiquum ius de quolibet excommunicato publico in vno loco, nunc etiam procedit de percussore Clerici notorio in vno loco, & occulto in alio: nam quoad hunc ius antiquum integrum manet, nihilque immutatum est: Et eadem ratione idem procedit in excommunicato denunciato in vno loco, & occulto in alio: quia in illa Extrauagante aequiparatur nominatim excommunicatus, & manifestus percussor Clerici; & consequenter etiam aquiparatur excommunicatus nominatim cum quolibet publico excommunicato iuxta ius antiquum. Item quia ante illam Extrauagantem excommunicatus publicus in vno loco, licet ibi denunciatus esset, si in alio esset occultus, in illo procederet doctrina data, quę generalis est: ergo à fortiori idem nunc est dicendum.

Obiicit: ergo pari ratione dicere nunc possumus, denunciatus in vno loco, si alibi existat vbi denunciatus non est, non esse ibi vitandum, etiam si alio modo ibi sit publica eius excommunicatio; & consequenter acta ibi ab illo valida esse. Patet sequela, quia, vt diximus, publicus excommunicatus respectiue accipiendus est; id est, ibi vbi publicus est; ergo eodem modo sumendus est nominatim excommunicatus, scilicet ibi, vbi denunciatus est. Respondetur negando sequelam; quia non est necesse, vt denunciatio vbique, seu in singulis locis, ac prouinciis fiat: sed sicut excommunicatus alicubi, vbique excommunicatus est; ita denunciatus alicubi per se, & ex vi denuntiationis vbique denunciatus est; solum requiritur, vt per publicam famam censura, & denunciatio ad alia loca perueniunt.

Vltimo possunt fere omnia dicta extendi cum proportionem ad reliqua munia, seu personas, quę in iudicio interuenire solent ad illud promouendum, vt sunt actor, procurator, testis, & similes. Veritatem, quia de his personis iura indifferenter loquitur in quocunque iudicio Ecclesiastico, vel seculari ideo quę ad eas pertinent, attinguntur commodius disputatione sequenti.

SECTIO II.

Verum excommunicatus beneficiorum collatione, & omnibus actibus, qui illam concernant, priuatus sit.

Prius principalis, ac generalis regula in hoc puncto est, excommunicatum neque licite, neque valide posse beneficium Ecclesiasticum conferre. Hęc est certa, & communis sententia, quę præcipue probatur ex cap. *Vnico*, *Ne sede vacante*, in 6. vbi sermo est de Episcopo, vel Capitulo suspensio à beneficiorum collatione: hæc tamen in excommunicatione includitur, vt ibidem satis declaratur, dum additur idem esse, *Si omnes de Capitulo maioris excommunicationis vinculo innodari contingat*: nam quia Capitulum vt sic excommunicari non potest, sicut potest suspendi; ideo dicitur quoad nunc effectum idem operari excommunicationem quę quodammodo redundat in totum, quod suspensionem eius, propter suspensionem singularem personarum in excommunicatione inclusam. Ad idem citatur textus in cap. *Tanta*, de excessibus. Prælat. vbi de interdicto, & violatore eius sermo est. Item